

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Exercitatio theologica de fragrantia Christi quam ex 2.  
epist. ad Corinth. 2, 15.16**

**Buddeus, Johann Franz  
Naumann, Tobias Gottfr.**

**Ienae, 1712**

**VD18 11426357-001**

**§. XII.**

[urn:nbn:de:bsz:31-130634](#)

constituti verbi diuini ministri , & eadem ratione suo funguntur officio , sunt Christi bona fragrantia Deo.

§. XII. Mox a lapsu euangelium Christi instar boni odoris primis parentibus a Deo ipso spargebatur. Postea vero per patriarchas , & prophetas aliosque viros veteris testamenti Θεονέυσας annunciabatur , licet non tanto claritatis gradu , ut postea noui testamenti temporibus , quae diei speciem p[re]se ferunt in relatione ad tempora veteris testamenti , quae vti nox obscura fuere. Nam hic per typos , umbra & obscuriora vaticinia euangelium suauissimum denunciabatur ; sed temporibus noui testamenti instar clarissimi inbaris erumpebat. Christus per triennium & quod excurrebat illud clarissime praedicabat , ipsoque ad dextram patris eucto , per apostolos , quos conuocauerat ac ordinauerat , hominibus annunciatum curabat . Hi totum ferme permigrarunt mundi ambitum , & praedicando , scribendoque hunc odorem sparserunt. \* Seculis subsequentibus per viros aposto-

---

\* Vid. Danhauerus in Christi de p.m. 155. seq.

apostolicos, Patres & doctores alios, vsque  
in hunc diem idem praesitum est.

§. XIII. Ex hac euangelii descriptione  
discrimen legis & euangelii innotescit, quod  
quoad theoriam facile quidem percipitur, in  
praxi autem, eiusdem discretio difficultate  
non caret. Quare MEGALANDER LV-  
THERVS notanter admodum dixit: \* *Qui  
bene nouit discernere euangelium ac legem, Deo  
agat gratias & sciat se esse theologum. Ego  
certe in temptatione nondum noui ut deberem.  
Item: saepe dico istam doctrinam fidei esse fa-  
cillimam, istamque distinctionem legis & gra-  
tiae quemlibet facile posse intelligere, quantum  
ad verba attinet, sed in ipso usu, vita, affectu  
esse difficillimam.* Quod discrimen ipsum le-  
gis & euangelii in theoria attinet, varie id  
theologi nostrates delinearunt, neque eodem  
ordine, neque eodem numero hoc re-  
censuerunt. CTRILLVS vt b. IO. GERHAR-  
DVS obseruat \*\* ad decem hoc redigere vo-

G 2

luit

---

\* In *commentario in epist. ad Gal. cap. II. opp. tom. IV.*  
*Ienens. latin. p. 40.*

\*\* In *L. L. theol. tom. III. de euangelio §. 54.*